


3. Signorum copiam non necessariam & inde cumulum proportionum conservatum usus non fructuosus tollit.

## DE MENSURA.

MENSURA est ex signi positione collatio valoris in sonum, requirentis momentum temporis, ictus depressione & elevatione collecti. Vulgo dicitur Tactus, qui est depressio & elevatio manus, & quasi medium, quo Mensura utitur.

Mensura duplex est Plana & Mensuralis.

Plana, quæ in sonos certam quantitatem non confert. Notæ quarum nunc usus est frequentissimus sub planâ mensurâ, hâc formâ pinguntur 

Mensuralis, quæ in sonos certam quantitatem confert, duplex est *ισωδιμησις* & *ανισωδιμησις*. *ισωδιμησις* (*ισως* equaliter; *ισο* æqualis & *διμησις* duabus partibus constans; *διαμεριζομαι* divider) est Tactus vel ictus, depressionem & elevationem habens sui partes æquales dimidias, nullò valore differentes.

Hæc duplex est Perfecta & Imperfecta

Perfecta *ισωδιμησις* Mensura est quæ Melodias demetitur signatas signò circulari Sphæricò, & notis pausisq; Maximis, Longis & Breuibus valorem dimidiò auget. Varias habuit species, quæ quia maximâ ex parte exoleverunt, & nullius momenti esse perhibentur, emortuæ ut relinquuntur præstat, quam ut vitæ restituantur & ingenia ipsis torqueantur & macerentur.

Imperfecta *ισωδιμησις* Mensura est quæ Melodias demetitur signatas signò hemisphæricò, & notas pausasq; Maximas Longas & Breves in valore maximè usitatissimo, relinquens

- REGVLÆ.
1. Ictus sive Tactus Depressio & elevatio sunt de Mensuræ essentia: vel ipsam Mensuram procreant sive constituunt.
  2. Mensuræ Species tot meritò constituentur, quod suppeditat usus.
  3. Mensurarum Species perfectæ (quas Proportiones vocant) quia ad Imperfectas reduci possunt non immeritò tolluntur, ut res nullius momenti.
  4. Mensura qualibet initium habet à depressione.

*Mensura i-  
sodimēsis.*

*Maxima nota  
sunt quædam in  
se 12 partibus.*

